

qui, tantorumq; Heroum labore assentiendo frui: hoc enim tutò fieri non posse, tum ea quæ fundamenti loco sub initium cap. II. diximus, tum verò imprimis experientia rerū magistra, docuerunt; quando plurimi ex iis ipsis, qui alterutrum istorum maximi faciebant, in multis jam deserere Magistrum coacti sunt, aliorum modernorum aut suis ipsorummet observationibus ac demonstrationibus meliora edocti.

V. Sed ad Prisca secula redeundum est, & illud nunc expendendum, quod *Hornius* sub finem Lib. III. Hist. Philos. ait, *hanc Philosophiam* (Eclecticam puta) *Ecclesia doctores ferè omnes esse secutos* & Lib. V. cap. IV. *Plerosq; Patres fuisse Eclecticos*, adducto loco *Clementis Alexandrini* è I. Strom. notissimo: *Φιλοσοφίαν ἢ τὴν Στωικὴν λέγω, ἢ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπιχειρίντε, καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλὰ ὅσα εἴρηται παρ' ἐκάστη τῶν αἰρέσεων τρίτων καλῶς δικαιοσύνην μετ' εὐσεβείας ἐπισημῆς ἐκδιδάσκοντα, τὰ τοῦ σύμπαντος ἐκλεκτικὴν Φιλοσοφίαν φημί.* i. e. *Philosophiam dico, non Stoicam, neq; Platoniam, aut Epicuram, aut Aristotelicam, sed ea omnia quæcumq; ab unaquaq; secta rectè dicta sunt, justitiam cum pia scientia edocentia, omne hoc electitium voco Philosophiam.* *Clementi Voslius* de sectis cap. XXI. jungit *Origenem* & *Latrantium*, cujus posterioris è Lib. II. Instit. Divin. c. 8. (al. 7.) hæc allegat verba, quæ huc etiam transcribantur dignissima: *Quare oportet in ea re maxime, in qua vita ratio versatur, sibi quemq; considerare, suoq; judicio ac propriis sensibus niti, ad investigandam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt: quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est, tanquam lux & solis claritas, quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere i. e. veritatem quaerere, omnibus sit innatum; sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo*